4

DE

QUIBUSDAM OCULI INFLAMMATIONIBUS.

DISSERTATIO

INAUGURALIS MEDICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN UNIVERSITATE LITTERARIA BEROLINENSI

UT SUMMI

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES RITE SIBI CONCEDANTUR

DIE IX. M. SEPTEMBRIS A. MDCCCXX

H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

RUDOLPHUS BAETCKE

HAMBURGENSIS.

OPPONENTIBUS

LUDOV. FICKER MED. DD.
IOA. HUESER MED. DD.
GUIL. THEVENY MED. DD.

FORMIS BRUESCHCKIANIS.

Introductio.

Oculi inflammationes omnium huius organi morborum longe gravissimi sunt, et quod vim exserere valent adeo perniciosam, et reliqui fere omnes morbi ex iis enascuntur. Qua de causa ob institutionem propriam hoc mihi argumentum proposui.

Inflammationes dividuntur secundum gradum et ruboris extensionem: in ophthalmiam angularem sive taraxim et chemosim; secundum decursum: in acutas et chronicas; secundum characterem in asthenicas et hypersthenicas, rel. Medico vero utilissima divisio in simplicem (idiopathicam, vere inflammatoriam, hypersthenicam) et specificam (plerumque etiam sympathicam aut symptomaticam) est. Inflammatio autem simplex audit, si tantum a potentiis nocivis externis et praedispositione quae cuique homini inest, ortum ducens, ut phlogosis decurrit, sine symptomatibus proprie alienatis, et propterea tantum quoad maiorem vel minorem intensitatem (sit venia verbo) differt. — Specifica autem est effectus causarum nocivarum externarum et internarum, quae totum orga-

nismum simul male afficiunt; eius decursus non est mere inflammatorius et nobis phaenomena peculiaria offert, quorum ope causarum specificam naturam destincte cognoscere possumus. In universum his a simplice differt:

1) Ophthalmia vere inflammatoria aequaliter plures oculi partes occupat, aut totum oculum externum aut totum internum. Specifica certas membranas et partes amat, ut. v. c. scrofulosa glandulas Meibomianas et tunicam coniunctivam.

2) Ophthalmia simplex constantiam symptomatum omnium exhibet; subito et fere eodem tempore et pari vehementia omnia phaenomena ordiuntur; in specifica vero magna in omnibus diversitas, et semper unum aut alterum signum eminet, sic v. c. insignem photophobiam sed dolorem non magnum in scrufulosa observabis. — Eandem fere differentiam, quam inter febrem sthenicam et asthenicam invenies.

3) Ophthalmia simplex sine intermissionibus et magnis remissionibus decurrit locumque semel occupatum non relinquit, specifica nonnunquam intermittit, adeoque ad oculum aut organon alterum transmigrat.

4) Longe plurimae inflammationes specificae chronicum decursum sumunt et characterem asthenicum; stadium primum sthenicum si omnino adest celeriter evanescit, et methodum antiphlogisticam caute adhibendam expostulat.

Potentiae autem internae, quae totum organismum simul male habent, sunt omnia exanthemata et impetigines, puta morbilli, rubeolae, scarlatina, va-

riolae, scabies, herpes porro cachexiae, syphilis, arthritis, morbus scrofulosus, scorbutus; affectio catarrhalis, rheumatica; miasma peculiare quod ophthalmiae aegyptiacae, bellicae, et forsan etiam neonatorum ansam praebet. Vides ergo, omnes inflammationes specificas vel sympathicas esse, vel miasmatico — contagiosas, vel cachecticas.

Decursus inflammationis idiopathicae simplicissimus, ut paucis memorem, hic est. Stadium primum (incrementi) est mere inflammatorium, aeger dolorem urentem, calorem, inpatientiam lucis et aëris accusat, secretiones oculi sunt aut auctae aut suppressae pro inferiori aut altiori inflammationis gradu, atque bulbus palpebraeque, praesertim superior, intumescit et rubet. In stadio secundo (decrementi) primum calor et dolor evanescunt, rubor fit pallidior, tumor vero manet, potius crescit, perinde ut secretiones. Congestionem igitur passivam invenimus, usque demum vasa sensim fluida haerentia resorbent.

His praemissis, me ad descriptionem nonnullarum oculi inflammationum specificarum converto, de quibus ophthalmiam syphiliticam et arthriticam mihi elegi.

Ophthalmia syphilitica.

Est effectus vel luis confirmatae vel gonorrhoeae. Illa cornëitidis, sclerotitidis, iritidis et inflammationis corporis ciliaris, haec blenorrhoeae palpebrarum ac bulbi oculi formam assumere consuevit.

Symptomata morbi.

Dolore primum pungente, ruborem pallidum in adnata atque selerotica versus locum insertionis musculorum exiguum videmus, maximum vero ubi corpus ciliare situm est, ita ut forma circuli scarlatini corneam circumdet. Mox etiam cornëitis insequitur, vascula rubra in ima cornea conspiciuntur (Rustius se nunquam vasa rubra observasse contendit) quo membrana obscuratur ac colorem luteum adipiscitur. Tum dolor obtusus premens, lacrymatio aucta, photophobia insignis, coarctatio et immobilitas pupillae, deminutio facultatis cernendi crescens ob exsudationem lymphae coagulabilis pone uveam, intumescentia marginis pupillaris et propulsio iridis antrorsum versus corneam, alienatio coloris eiusdem marginis in colorem cuprinum, nobis iritidem produnt, quae vero praeterea id peculiaris prae se fert, quo ab aliis destinguitur quod pupilla simul coarctatur atque superne et versus augulum oculi internum posita est. Demum dolores vehementissimi osteocopi in margine supraorbitali totoque capite accedunt, qui ad versperam incipiunt, media nocte summum ad fastigium evehuntur, et mane demum remittunt. Post talem doloris exacerbationem pupilla magis magisque coarctata et superne versus angulum oculi internum reperitur, atque exsudationes lymphaticae cernendi facultatem magis magisque tollunt. Si nondum aegroto succurritur, tum et in magine pupillari et ciliari parvi noduli coloris fusci, subrubri aut ex cinereo lutei apparent, qui condylomata audiunt, saepius to-

tam cameram anteriorem explent iridem reprimunt et corneam protrudunt. Nonnumquam simul ulcera corneae atque scleroticae, syphiliticis similia, existunt, et in regione orbitae gummata et tophi oriuntur.

Exitus et Prognosis.

Exitus sunt, qui in iritide observantur (tamen non commemoratum inveni, eam esse in ophthalmiam internam et suppurationem bulbi ipsius transgressam. Quum vero hic casus tamen in corpore iuvenili plethorico accidere possit — et forsan etiam iam evenit, quod ego solus tantum nescio quia experientiae sum expers — etiam huius exitus ordinem et curam narrabo.)

1) Omnia phaenomena sensim sensimque per resolutionem regrediuntur, facultas cernendi integra manet.

2) Suppuratio; et hic est casus duplex. Aut ulcera lamellas corneae exedunt, et humor aqueus effluit, et hic casu feliciori aeger cum cicatrice, quae visum non plane tollit, abit, vel, si apertura corneae non satis celeriter se claudit, iris prolabitur, seque corneae adponit, et synicesin anteriorem partialem aut totalem aut staphyloma facit, et aeger visum perdit, forma tamen bulbi servata. — Aut suppuratio interna oritur, et hic vel hypopium, quod curatio apta saepe tollit, vel, si iritis in ophthalmitidem internam transgressa fuerit, (quod vero in hoc morbo accidere posse non credo) haec exitum, visui et formae aequaliter infelicem sumit. Cornea turbatur, bulbus magis magisque intumescit, cum dolore pul-

satorio interno, cum sensu gravitatis et frigoris oculi coniuncto. Initio plerumque solummodo in fundo camerae anterioris pus animadvertitur, postea vero, crescente suppuratione in utraque camera, nec non in omni bulbi spatio, et intra corneae lamellas effusum, et in cameris collatum albescente cineeoque colore translucet. Postremo autem, si nullum aegro auxilium latum est, pus tanta copia colligitur, ut cornea conice et vorticis purulenti instar propellatur, et saevissimo dolore delirioque disrumpatur, omnisque oculi liquor in pus quasi mutatus insigni copia effluat. Quo facto, bulbi reliquiae collabuntur, et quamvis nunc inflammatio sedetur, atrophia tamen bulbi accedit, ipsumque citius in orbita extinguit, ita ut tantum scleroticae pars minima relinquatur.

Prognosin bonam pronuntiamus, si malum est recens, si aegrotus ceterum robustus, sic ut ei sufficientem quantitatem hydrargyri dare possimus, si exsudatio lymphae coagulabilis non magna est. Si vero reticulum lymphaticum camerae posterioris facultatem cernendi plane iam sustulit, si condylomata iridis, ulcera syphilitica corneae, exostoses oculum et orbitam iam destruxere, nihil de restitutione visus sperare possumus. Imo fieri potest, iritide in ophthalmitidem internam transgressa, ob peculiarem membranarum oculi cum meningibus coniunctionem, ut inflammatio bulbi ad has propagetur, et encephalitide orta, (aut si complicatio cum scorbuto existit) mors adducatur.

Cura.

Ea non minus localis quam universalis sit, necesse est, semper autem quam maxime haec sunt respicienda:

1) Inflammationis momenta. Ophthalmiae specificae, ut iam supra dixi, sunt effectus causarum, externarum et quae totum organismum simul male afficiunt; invenimus hic causas remotas relative et absolute externas.

2) Inflammationis stadium, eius maior minorve vehementia.

3) Exsudationis lymphaticae, et quidem partim eas prohibere, partim ortas destruere conamur.

4) Exacerbationes nocturnae, quia post talem semper pupillam magis coarctatam et superne versus angulum oculi internum reperimus.

Indicatio prima. Primum explorare debemus, an corpora aliena oculo adplicata fuerint et praesentia removere. Tum vero in luem, quam in ophthalmiae causam quae characterem specificum constituit, agendum est. Celerius reliquis hydrargyri praeparatis, hydrarg. muriat. corros. aut mercur. nitros. in formam pilularum per extracta v. c. ligni quass., herb. cicut., liquirit. redactus, adiuvat, et si periculum in mora est, etiam inunctiones unguent. hydrarg. ciner. quotidie drachm. unius aut duarum utiles erunt. Caeterum mercurium sicut in lue universali adhibemus.

Secunda. Sanguinis detractioni (nisi in corpore iuvenili plethorico) ipso in stadio primo supersedere

possumus, quia inflammationes specificae omnino magis characterem asthenicum prae se ferunt. Si casus est recens, nec aeger debilitatus, laxantia mercurialia damus ex mercur. dulc. aut solub. Hahnem. cum rad. ialapp., qua ratione etiam ab oculo derivamus. Serius vesicatoria in processu mastoideo, nucha, brachio posita reliquum inflammationis tollent. Praeterea aeger in obscuriori loco degat, omnisque lucis et aëris accessionem oculorumque intentionem evitet, necesse est, quare linteum tenue, aut sacculi leves sicci tepidi ex flor. sambuc. et farin. fabar. parati oculo superimponendi sunt.

Tertiae indicationi etiam mercurius satisfaciet propter cognitam suam vim resolventem. Sed etiam medicamentum habemus, quod mechanice nobis succurrit, quia pupillam dilatat et sic filamenta exsudata disrumpit, hoc est belladonna, quam apte cum hydrarg. muriat. corros. coniungimus.

Quarta. Dolores osteocopos et ipsum hydrargyrum mitigabit cum opio coniunctum et in margine supraorbitali infricatum, utimurque aut unguento mercur. cinereo, aut calomelane cum opio puro.

Quodsi hoc modo omnis irritatio inflammatoria disparuit, topice aqua ophthalm. Conradi idonea erit, et demum unguentum non nimis forte mercur. praecip. rubr. laudatur. Ulcera ichorosa solutione tepida lapidis divini tractamus. Beerius post sanata demum ulcera unguent. mercur. praecip. rubr. utendum esse contendit. — Hypopium saepius resorbetur, et raro incisio corneae instituenda est; condylomata mercur. depellet.

Si ophthalmitide interna orta, suppurationem universam ipsius bulbi nec cohibere nec visum ullo modo restituere possumus, suppurationem ipsam maturare eiusque indolem benignam servare studemus. Hic cataplasmate tepido emolliente e speciebus emollientibus cum herb. hyoscyam. vel cicutae parato, utimur; alii pultem e malis commendant, quae nocte linteo tenui calefacto commutatur. His adiungitur aqua ophth. cum multa tinctur. opii crocata, et laudan. liquid. merum, nec minus epispastica post aures, aut vapor tepidus aquae floribus et herbis aromaticis impraegnatae exterius quam optime proficiunt. Pure post curam sic institutam in anteriori bulbi spatio semper magis magisque collecto, si tensione ac dolore atrocissimo aeger cruciatur, si bulbus fere in eo est, ut rumpatur, corneae incisio maximum levamentum affert. Ipse puris effluxus optime decocto emolliente Ianini e malva parato adiuvatur, et deinde bulbi reliquiae aquae ophthalm. cum tinctur. opii crocat. mixtae et caloris sicci paululum aromatici usu ulteriori plerumque consanescunt.

Blepharophthalmia et ophthalmia gonorrhoica.

Connexus causalis huius morbi cum urethritide syphilitica non negandus est, sed quodam modo adhuc latet. Nonnumquam materia puriformis penis oculo applicatur, quae vero huic inflammationi acutissimae, de qua tractabo, ansam non praebet, sed benigne decurrit, et medicamentis aptis mox cedit.

Nonnulli morbum de quo agimus sic definiunt: est chemosis blenorrhoica vehemens acutissima colliquativa (plerumque unum oculum solummodo irruens) post gonorrhoeam suppressam, ideoque eum metastasin esse putant. Alii vero, quia effluxus ex urethra saepe non turbatus est, eum esse metaschematismum contendunt. Ego litem componere non possum, tamen priores longius a vero abesse credo.

Symptomata morbi.

Oculi primum pruriunt et lacrymantur, tum in marginibus palpebrarum tumor exsurgit ruber durus maxime dolens et celeriter in totam palpebram se extendens saepius magnitudine manus compressae. Mox etiam ad coniunctivam scleroticae transmigrat, qnae ut in chemosi vera tamen non tam dura et rubra, adeo tumet, ut undique circa corneam velut in aggerem elevetur, intra quem cornea et pone hanc locata pupilla velut intra foveam depressae videantur, atque agger ipse velut vesica sanguinea fusca inter palpebras emineat. Cum his photophobia dolor constringens maximus, febris; et hunc ad gradum morbus iam intra duodecim usque viginti quatuor horas adscendit. Tumor interim perpetuo crescit, fit lividus fungosus, atque demum carni crudae similis totum oculum obtegit. Tum coniunctiva palpebrarum et bulbi primum albidum, postremo luteum viridem mucum secernere incipit, atque sub finem cum his hypopium se coniungit, cornea turbatur, albicat, rumpitur et oculus plane die tertio aut quarto destructus est. (Reilius et Richterus vero etiam de

ophthalmiis gonorrhoicis chronicis loquuntur, qui hebdomodes et menses duraverint).

Prognosis.

Omnino pessima; melior si initio medicus advocatur, ubi secretio mucosa nondum invaluit, et nonnulli addunt: si nobis contingit gonorrhoeam suppressam restituere. Si vero iam suppurationem externam internamque observamus, oculus perditus est. — Praedispositionem ophthalmiae huius homines iuveniles robusti habent et qui prius morbo scrofuloso laboravere.

Cura.

Diversimode a medicis instituitur. Veteres commendabant hydrarg. praesertim mercurium gummos. Plenkii. — Hornius apparatum antiphlogisticum laudat, venaesectiones largas, hirudines, laxantia mercurialia cum rad. ialapp., vesicatoria, fomentationes ex lacte et floribus sambuc. paratas, vapores. — Himlyus hanc methodum supervacuam habet, atque aliquid de sequentibus sperat. Applicat tinctur. opii simplic. meram, quam oculus saepe vix sentit, serius cum liquor. anodyn. miner. et balsam. vitae Hoffmanni exacutam; cum his externe et interne extr. hyoscyam. aut. bellad., et demum collyria adstringentia ex Zink. sulph. aut acet. aut cort: querc. chinae. Beerius et Rustius consilium dant, ante omnia gonorrhoeam suppressam restituendi, propterea cataplasmata ex mica panis alb. lacte, croco aut hyoscyam. ad perinaeum, balnea tepida penis, iniectiones oleosas

ditur, aut alio modo morbose irritatur eaque inflammatio enascitur; haec est ophthalmia arthritica vera. (Teste Hornio etiam in corpore arthritico inflammatio simplex existere potest; et causae quibus fit, ut nunc simplex nunc specifica sit, adhuc indagandae sunt.) Aut arthritis insultum facit dolores e. g. pedis desinunt et loco eorum inflammatio apparet. Nonnulli tandem eam etiam in hominibus qui nunquam arthritidem questi sunt, observarunt, ubi forsan sequela aut gradus altior ophthalmiae rheumaticae erat, quae omnino praesertim eo in casu, quo annulus albus circa corneam distinctus est, facile in arthriticam transitura dicitur. —

Plerumque invadit aetate provectos, mulieres si menses cessant, praecipueque ii dispositionem habent quibus impetigines aut ulcera pedis inveterata celeriter suppressaa sunt.

Symptomata morbi.

Initio aeger sensum formicationis circa orbitam plerumque primum lateris sinistri queritur, qui sensim in dolorem lacerantem vagum decursum nervi facialis sequentem, tempestate sicca serena calida mitiorem, humida inque lecto vehementiorem, et oculo uno tantum correpto etiam dimidiam capitis obtinentem, commutatur. His sese lacrymatio aucta acris adiungit simulque palpebrae peculiarem spumam, salivae multum albuminis continenti similem, in uno alterove angulo se colligentem agunt. — Doloribus iam vehementibus sclerotica rubet (quod ex eo videmus, quod vasa rubra non motus oculi sequuntur

tepidas, applicationem cucurbitularum siccarum in latus internum fermoris, cereolos cum solutione lapidis infernalis unguent. praecip. rubro aut miasmate syphilitico illito (prior etiam insitionem gonorrheae ex muco oculi) suadent, caeterum vero si blenorrhoea profusa est, aquam ophth. Conradi iniiciunt, vesicatoria ponunt, et ut in blephariophthalmoblenorrhaeam agunt. — Spangenbergius tandem nobis has indicationes proponit:

1) Ut organum morbose secernens quantum fieri potest destruamus; quare partem coniunctivae tumentis oculi exsecat, et palpebrarum scarificat.

2) Ut mucum corrosivum mitigemus, et

3) Irritationem in propinquo cieamus, propterea vesicans in nervo supraorbitali ponamus.

Wardrop, cornea mature aperta, humorem aqueum emittit.

Ophthalmia arthritica.

Est secundum Beerium aut inflammatio erysipelatodes palpebrarum et bulbi oculi, actio vicaria post podagram per frigus supperssam, blepharoophthalmoblerorrhoea vehementissima colliquativa, quae oculum citissime destruit; — aut effectus merus arthritidis et tum iritis sclerotitis, inflammatio corporis ciliaris saepe etiam corporis vitrei.

Inflammatio iridis, scleroticae, corporis ciliaris et vitrei arthritica.

Causa specifica est arthritis, aeger iam affectionibus arthriticis aliarum partium laborat, oculus lae-

et quidem rubor rosaceus in circumferentia bulbi minor (quo ab ophthalmia rheumatica differt, in qua rubor versus musculorum insertionis locum maximus est, vero etiam circa corneam circulus albus mox describendus reperitur) maximus vero ea parte cui corpus ciliare adhaeret, quare etiam hic, ut in syphilitica, annulus ruber formatur, ita tamen, ut ad minimam a cornea distantiam plane nullus, sed pro eo circa corneam circulus peculiaris albus subcaeruleus observetur. — Mox etiam coniunctiva malum recipit, eius vasa fiunt varicosa et rubor rosaceus scleroticae in colorem squalidum ex cinereo violaceum se convertit. Quando nunc inflammatio ad iridem vergit, iritis in hominibus macris sensibilibusque sic se manifestat: iris fit immobilis eiusque color caeruleus aut glaucus in viridem, fuscus vero in subrubum convertitur; pupillam reperimus angulosam coarctatam, sed in centro corneae neque distortam ut in ophthalmia syphilitica. Febricula oritur, dolores crescunt, praesertim ad vesperam et post talem exacerbationem secretione lymphae et formatione filamentorum pupilla magis magisque obturatur. Iritide exculta, oculis, praesertim armatis, vasa varicosa huius membranae dignoscere possumus. Demum oculus tabescit, fluida resorbentur, cornea collabitur et dolores cessant, qui vero mox etiam alterum oculum forsan adhuc immunem invadunt.

Aliter iritis adparet in hominibus succulentis bene pastis, phlegmaticis, in quibus inflammatio plerumqne etiam partem bulbi posteriorem praesertim corpus vitreum corripit. Hic pupilla non contrahitur,

non angustior fit, sed ovalis pupillaeque ruminantium similis dilatatur, et distrahitur talem in modum, ut formam oblongam directione horizontali adipiscatur; margo pupillaris versus lentem convertitur, ita ut plane evanescat. Tum dolores lacerantes terebrantes perinde quasi bulbus findatur increscunt, signum incipientis inflammationis membranae hyaloideae, quod mox etiam turbatio viridis fluidi vitrei indicat. Et lens, si participat, turbatur, intumescit, iridem propellit et cataractam viridem s. glaucomatosam nobis offert. Simul varicositas bulbi augescit, varices crassae prope corneam gignuntur, cornea fit languida, facultas cernendi evanescit etsi photopsia aegrum cruciat; atque aut atrophia aut glacoma et varicositas remanet.

Decursus et Prognosis.

Prioris iam memini, malum, inflammatione cohibita, dolore sensim sensimque sedato, exsudationibus lymphae resorptis aut sanatur, aut destructiones bulbi quas narravi relinquit. — Prognosis omnino mala est, et quod arthritis, causa specifica insanabilis est et inflammatio facillime recrudescit, et ricidiva pertinacior prima decurrit. Melior est, si morbus ex ophthalmia rheumatica oritur, et in hominibus macris quibus corpus vitreum et retina non tam celeriter afficitur, qua de causa peior etiam in homine succipleno phlegmatico. Iritide arthritica acmen assecuta, glaucomate exorto, visus in omne tempus perditus est.

Cura.

Et hic: 1) stadium et gradus inflammationis explorandus;

2) causa remota respicienda;

3) exacerbatio nocturna mitiganda est.

Indicatio prima. Ut in inflammatione syphilitca sic in hoc casu sanguinis detractione carere possumus, in hominibus tantum plethoricis, si febris adest, sanguisugis utimur, plerumque vero etiam hic antiphlopistica refrigerantia cum diaphoreticis, laxantia, pediluvia, vesicatoria in partes ab arthrittide prius affectas sufficient. Si vesicatoria non satis derivant, Ill. Graefe cauterium ex lapide infernali ad verticem applicatum laudat. Praeterea aegrotum in loco obscuriori habemus et oculo sacculi sicci calidi ex speciebus aromaticis et pro sensibilitatis statu cum aut sine camphora superimponimus. Etiam in hac ophthalmia mercur. sublim. corros. locum suum habet, quia in arthritidem agit, inflammationem et exsudationes prohibet et specificam vim in retinam exserit. —

Secunda. Causis absolute externis remotis, quae plerumque desunt, specifica, arthritis respicienda est, quam sanare studemus. Inter antarthritica ea evitare aut saltem maxima cum providentia adhibere debemus quae excitant, v. c. praeparata antimonii et tincturas, quia sanguinem ad caput congerunt, et sic varicositatem, in quam haec ophthalmia maxime inclinat, adiuvant, quare etiam sanguinem per extracta resolventia v. c. taraxaci, aloës et s. p. in tubum alimentarium derivare conamur.

Medici commendant si omnis irritatio inflammatoria evanuerit sulph. aurat. antim., aconit., guaiac., camph., pro statu cum nitro et si photophobia magna cum extracto hyoscyam. aut bellad.

Tertia. Iubemus opium cum saliva in marginem supraorbitalem illini, aut unguent. neapolit. cum extract. hyosc. aut bellad. Si malum fit chronicum, si aeger magis cachecticus parum sensibilis est, liniment. volatit. ex oleo hyoscyam. parato cum tinctura opii crocat. utimur.

In hominibus quos nunquam insultus arthritidis accessit, nonnunquam ophthalmiam eo sanamus, quod per pediluvia cum sinapi etc. insultum evocamus, et sic actioni morbosae in pedibus tantum laboris damus, ut vires in alias partes non destribuere possit.

Inflammatio erysipelatodes arthritica.

Breve tempus post podagram suppressam surgit in margine palpebrarum, dolore urente, tumor subrubicundus, lympham luteam corrosivam continens, formae vesicae, ci quam emplastrum cantharidum facit similis, quae mox, sensu ardoris continente, ad coniunctivam bulbi transmigrat et ipsa puncta lacrymalia corripit, quare epiphora et quidem acris apparet quae celeriter in blennorhoeam tenuem et corrosivam commutatur, quae nunc effrenate oculum destruit.

Prognosis.

Semper est dubia, melior si initio podagram suppressam restituimus, si vero iam ophthalmoble-

norrhoea orta est, omnis servandi oculi spes praeciditur.

Cura.

Ante omnia podagram suppressam quam celerrime provocare conamur per pediluvia sinapina aut melius per sinapismos quibus pedes involvimus. Si aeger nos in primo stadio inflammationis erysipelatodis vocat, calorem siccum applicamus, adhibitis sacculis herbarum aromaticarum cum camphora, et diaphoresin curamus. Si vero iam blepharophthalmoblenorrhoeam invenimus, laud. liquid. Sydenh. mero, aut cum mucilagine mixto utimur, et si simul doloribus vehementissimis aeger cruciatur, eum opium purum in magine supraorbitali infricare iubemus, viresque ope chin. calam. aromat. aliorumque remediorum sustentamus. Antarthritica nihil adiuvant.

CURRICULUM VITAE
EX DECRETO
GRATIOSAE FACULTATIS MEDICAE
BEROLINENSIS
ADIECTUM.

Ego Rudolphus Baetcke natus sum Hamburgi a. 1799 patre Ioann. Diet. Baetcke, iuris Doctore, et matre Francisca e gente Graepeliana. Litterarum principia a praeceptoribus privatis ad annum usque decimum quintum accepi, a. MDCCCXIV autem in Gymnasium, quod Rectore tunc temporis Solbrig Soltquellis, Polaeomarchiae oppido, florebat, me contuli, ubi per triennium auctoribus classicis pertractandis, caeterisque ad humanitatem politiorem quae pertinent studiis, quantum in me fuit, animum adhibui. Tum testimonio maturitatis dignus habitus ineunte a. MDCCCXVII almam Georgiam salutavi, artisque salutaris studio me dedi. A Rectore Magnifico Staeudlinio a. d. III. M. Maii inter cives academiae receptus, his sum gavisus praeceptoribus. Cel. Blumenbach physiologiae, anatomiae comparatae et historiae naturalis praecepta mihi tradidit; Cel. Himly nosologiae, materiae medicae et therapiae generalis nec mi-

nus pathologiae et therapiae specialis morborum cutis, systematis chylopoëtici, uropoëtici, genitalis, et partium, quas thorax amplectitur; Cel. Langenbeck chirurgiae tam medicae quam manualis; Cel. Stromeier chemiae experimentalis et pharmaciae; Cel. Schrader bonatices; — Anatomiae et osteologiae Viri Cel. Langenbeck et Hempel; Cel. Bouterweck psychologiae et logices.

A. MDCCCXVIII Berolinum petii, ubi a. d. XXXI. M. Octobris Rectore Magnifico Weiss in album universitatis relatus, arti cadavera dissecandi operam dedi, ducibus Viris Ill. Rudolphi et Knape, unaque scholas semioticas Ill. Berends nec minus pathologicas et therapeuticas Ill. Horn qua potui assiduitate frequentavi. In therapia morborum acutorum speciali Perill. Hufeland me instituit. In acologia et doctrina de fracturis et luxationibus Cel. Bernstein, in arte obstetricia Clar. Kluge praeceptoribns usus sum. Denique Exp. Iuengken operationum ophthalmicarum modos me docuit. Institutis suis clinicis Viri Ill. Berends et Graefe nec minus Cel. Rust et Viri Clar. Kluge et Neumann benevole me admiserunt.

THESES DEFENDENDAE.

Iris expansa (pupilla coarctata) quiescit, contracta (pupilla dilatata) in actione est.

Excitantia in febribus asthenicis non sunt indicata.

Hirudinum effectus in inflammationibus internis non a loco, cui eas applicamus, pendet.